

7. *Probatum secundo.* — Deinde probatur et explicatur assertio, quia hæc lex continet multas promissiones internæ justitiæ et sanctitatis sub conditione alicujus operis; ergo quando conditio impletur, justificatio, quæ mediante tali opere comparatur, recte potest huic legi attribui tanquam promittenti. Consequentia patet ex discursu supra facto. Antecedens vero potest imprimis applicari ad promissiones gratiæ Sacramentis factas, quæ dicuntur esse de conferenda gratia ex opere operato, et sunt propriæ legis novæ. Deinde habet locum in promissionibus factis operibus meritoriis, quæ implentur in justificatione ex merito, seu ex opere operantis: nam illa justificatio recte attribuitur legi gratiæ, quia per suam observationem justificat, ex vi promissionis in tali lege factæ. Neque potest hoc ita attribui legi veteri; nam licet observantia illius facta ex spiritu fidei vivæ justificaret per augmentum gratiæ, tamen promissio illius justitiæ non erat ex tali lege, neque in ipsa lege, ut supra dixi, sed erat ex meritis Christi venturi, et ita quasi participabatur a lege gratiæ, ratione auctoris ejus, quod habet locum etiam in statu legis naturæ, ut supra notavimus. Denique (quod notandum est), cum hæc lex per se et quasi ex propriis promittat spirituales justitiam sub conditione operis, necessario includit vel promittit spirituales vires, et auxilia necessaria ut possint homines implere opera illa quæ ad talem justitiam necessaria sunt; tum quia alias promissio sub conditione talis operis videretur ficta et inutilis; tum etiam quia auctor hujus legis utrumque suis subditis meruit. Igitur, ratione promissionum per se pertinentium ad hanc legem, omnis justificatio, tam secunda quam prima, et ipsum justificationis initium non immerito potest huic legi attribui. Et quamvis D. Thomas non ita distincte hæc omnia explicaverit, nihil tamen horum negavit. Existimo autem in præceptis hujus legis solum considerasse vim obligandi, et in documentis vim consulendi, vel ostendendi justitiam, et sub hac ratione dixisse legem hanc non justificare. Sub gratia autem comprehendere videtur omnia subsidia gratiæ, inter quæ computari possunt instrumenta per quæ confertur, et promissiones ejus. Verumtamen, quatenus hæc etiam ad legis officium et institutum pertinent, ut declaravi, merito etiam ipsi legi novæ hic effectus in suo genere tribuitur.

8. *Plures spirituales effectus posse huic legi attribui.* — *Peccatorum remissio.* — *Sacramen-*

*talis gratia.* — *Characteres Sacramentorum, etc.* — *Alii novæ legis effectus.* — Ex quo tandem colligo plures spirituales effectus posse huic legi attribui. Hujusmodi sunt imprimis omnes illi qui sunt effectus Sacramentorum, ut est peccatorum remissio et omnis sacramentalis gratia, sive habitualis sive actualis, et characteres Sacramentorum, ac subinde potestas ordinis, quæ per unum ex Sacramentis confertur: nam omnia hæc dantur ex vi institutionis hujus legis. Imo cum his connexa est etiam potestas jurisdictionis pertinens ad forum Sacramenti poenitentiae, quia non potest illud Sacramentum sine hac potestate subsistere, et ideo in illius institutione includitur hæc potestas seu promissio ejus in generali, respectu Ecclesiæ, licet determinatio seu applicatio talis potestatis ad has vel illas personas fuerit dependens ex arbitrio Christi, et ex alia peculiari institutione. Verumtamen illa etiam determinatio et institutio ad legem novam in tota sua amplitudine pertinet, et ideo hoc etiam titulo talis potestas inter effectus hujus legis computatur. Unde consequenter fit, ut tota etiam spiritualis potestas jurisdictionis, quæ est in Ecclesia pertinens ad ejus externum regimen, et status hierarchicus ejusdem Ecclesiæ cum perfecta monarchia, dici possunt effectus hujus legis; quia omnia sunt a Christo instituta, et quadam immutabili lege stabilita: et ideo hæc et similia dicuntur esse de jure divino legis gratiæ, quamvis non omnia æque primo et immediate sint de jure divino, ut ex propriis locis constat. Denique alia etiam spiritualia bona, quæ ex vi generalium promissionum fidelibus conferuntur, inter effectus hujus legis computari possunt, ut explicatum est. Aliqui etiam huic legi attribuunt omnia privilegia gratiæ, extraordinaria auxilia, et vocationes, etiam miraculosas, quæ in hoc statu legis frequenter communicantur. Sed, hoc licet sit verum ratione auctoris hujus legis, quia hæc omnia abundantissime meruit, et ideo etiam sint valde consentanea statui hujus legis, non tamen ita proprie tribuuntur legi secundum propriam rationem ejus, cum potius supra vel ultra legem esse videantur. Præter hos autem effectus non occurrunt alii qui possint huic legi proprie tribui, quia hæc lex nec promittit bona temporalia, ut talia sunt, nec etiam per se infert irregularitates, neque alias poenas hujus vitæ, neque etiam irritat actus quos lex ipsa naturalis non irritat, ut ex dictis in capite secundo satis constat.

## CAPUT VI.

AN POSSIT ALIQUIS IN LEGE NOVA DISPENSARE.

1. *De dispensatione in lege nova.* — *Duplex mutatio.* — *Deum posse in lege sua dispensare.* — Explicatis causis et effectibus hujus legis, dicendum sequitur de proprietatibus ejus; sed inter eas solum illæ quæ ad immutabilitatem ejus pertinent, aliqua explicatione indigent: nam reliquæ, nimirum, quod sit sancta, spiritualis, potens, seu effectrix multorum bonorum, et consequenter quod sit suavis, et similes, ex dictis causis et effectibus hujus legis satis notæ sunt, et in capite octavo aliquid addemus. Nunc ergo immutabilitas explicanda est, quæ mutationi opponitur, et ideo duplex esse potest, sicut duplex est mutatio legis, scilicet, dispensatio et abrogatio, quibus opponuntur indispensabilitas et perpetuitas, et de hac posteriori dicemus in cap. seq.; nunc prior tractanda est. Potest autem sermo esse de dispensatione, vel obtinenda a Deo vel ab homine. De Deo vero nulla est controversia; clarum est enim posse in lege sua dispensare pro suo arbitrio, etiam sine causa: nam si hoc potest legislator humanus in sua lege, multo magis Deus. Imo, licet homo non recte aut licite id faciat sine causa; si Deus id faceret, honestissime et rectissime faceret, tum quia est supremus Dominus, tum etiam quia ejus voluntas est suprema regula bonitatis. Neque obstat quod voluntas sit immutabilis, quia sine sui mutatione potest Deus mutare quæ statuit, et ita ex æternitate potuit habere decretum tollendi obligationem suæ legis ab aliquo in tali tempore, per quod sine sui mutatione cum illo dispensaret. Hujusmodi ergo dispensatio possibilis est de potentia absoluta: nam de lege ordinaria certum est regulariter non concedi, quia Deus vult homines per homines gubernare. Neque admittenda est talis dispensatio, nisi Ecclesiæ de illa constare possit, et per illam approbetur, juxta regulam Innocentii III, in c. *Cum ex injusto*, de Hæret., et in c. *Nisi cum pridem*, de Renuntiati.

2. *Dispensabilitas hujus legis per hominem.* — *Nullum temporalem principem posse in hac lege dispensare.* — Omissa ergo dispensatione divina, quæstio est de dispensabilitate hujus legis per hominem, et tota reducit ad summum Pontificem, nam de cæteris non potest esse controversia. Nam cum auctor hujus legis sit superior omni homine, certum est nullum

hominem posse in hac lege dispensare, nisi per potestatem supernaturalem et spiritualem a legislatore concessam, quia inferior non potest dispensare in lege superioris, nisi ex ejus voluntate et concessione. Atque hinc certum est nullum temporalem principem, regem, vel imperatorem posse in hac lege dispensare, quia potestas eorum supernaturalis non est, nec spiritualis a Christo concessa; sed est mere temporalis et humana, ad ordinem tantum naturæ spectans, ut supra lib. 3 et 4 ostensum est. Si ergo talis potestas est in hominibus, solum esse potest in Pastoribus Ecclesiæ; ergo maxime in summo Pontifice: nam in illo est suprema spiritualis jurisdictio, et ab eo ad cæteros Episcopos aut Prælatos derivatur, quantum expedit Ecclesiæ, et uniuscujusque muneri et officio conveniens est. Unde, de cæteris Episcopis infra Pontificem, communis sensus doctorum esse videtur nullum eorum posse dispensare in jure divino evangelico, ut statim videbimus. Et ratio reddi potest, quia licet potestas hæc esset necessaria Ecclesiæ, non esset necessaria inferioribus Episcopis, quia existens in summo Pontifice sufficeret, cum usus talis potestatis possit esse rarissimus, et ideo nunquam legimus potestatem hanc esse commissam alicui inferiori Episcopo, etiam Patriarchæ. Denique regula juris generalis est majores Ecclesiæ causas ad Petri sedem esse referendas, c. *Majores*, de Baptismo; dispensatio autem in jure evangelico inter gravissimas causas merito computatur, et ideo tota hæc quæstio ad Petri sedem revocatur.

3. *Prima sententia affirmativa, Papam posse dispensare in omnibus quæ sunt juris divini, exceptis articulis fidei.* — In hoc ergo puncto, prima sententia absolute et indistincte affirmat Papam posse dispensare in omnibus quæ sunt juris divini, præterquam in articulis fidei. Ita loquitur Panormit., in cap. *Proposuit*, de Concess. præb., num. 20, citans Innocentium in cap. *Cum ad monasterium*, de Statu Monachor., ubi dicit non posse Papam sine causa dispensare in iis quæ sunt juris divini, sentiens ex causa posse; et idem sentit Felin. in cap. *Que in Ecclesiarum*, de Const., n. 19 et 20, ubi inter alia ait posse Pontificem ex causa mutare formam Baptismi in hanc: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, quod refert ex Innocent. in c. 4 de Baptismo, in fine, n. 11. Imo idem Felin., in cap. 4 de Const., n. 23, audet affirmare, posse Papam unico verbo creare Sacerdotem, dicendo: *Sis*

*presbyter*, sine alia solemnitate, quod refert ex Innocent. in cap. 1 de Sacra Unct., ubi nihil reperio. Addit præterea idem Felin. Papam posse solo verbo Episcopum facere, et citat Angelum in lege 2, c. de Crimin. sacrilegii, et in l. 1, c. de Sententiam passis. Eamdem sententiam tenuit Dec., cons. 112, n. 3, in fine, volum. 1, et in dict. cap. *Quæ in Ecclesiarum*, n. 25 et seq., alias n. 44 et 45 in novis. Allegantur etiam alii juristæ in cap. 2 de Translat. Episcopi, et in l. *Manumissiones*, ff. de Just. et jur., et in l. 2, c. de Serv. Verum est tamen plures illorum confuse loqui, non distinguendo inter jus naturale et positivum divinum. Imo interdum loquuntur de jure divino legis veteris ac si nunc obligaret, sæpe etiam indistincte loquuntur de dispensatione et interpretatione, quas nos postea distinguemus. Nunc vero intellecta hac sententia de propria dispensatione et de proprio jure divino positivo legis novæ, fundari potest:

4. *Quatuor fundamenta.* — *Primum exemplum.* — *Secundum.* — Primo, in verbis Christi Matth. 16: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Nam hæc tam generalis concessio nihil excludit quod secundum rectam rationem possit subsistere; hujusmodi autem est hæc potestas, ut ostendemus: ergo non est facienda hæc exceptio vel limitatio potestatis pontificiæ. Secundo, ex illis verbis colligimus potestatem dispensandi in juramentis, et votis, et in matrimonio rato, et vinculo spirituali inter Episcopum et Ecclesiam, sponsam suam, quod esse juris divini sentit Innocentius III, in cap. *Inter corporalia*, de Translat. Episcop.; et rationem reddit quæ in toto jure divino locum habet, scilicet, quia, quando Pontifex illud vinculum solvit, non utitur potestate humana, sed divina, id est, divinitus concessa. Unde aliqui hoc etiam extendunt ad carnale matrimonium etiam consummatum, et ad dispensationem in professione religiosa, etiamsi de jure divino positivo esse censeant: ergo idem dicendum est de dispensatione in lege gratiæ. Tertio, potest ratione hoc confirmari, quia, attenda humana conditione, talis potestas necessaria est in Ecclesia, quia sæpe accidere potest casus in quo observatio alicujus legis divinæ sit magis nociva, vel impediatur magis bonum, et propterea dispensatio in illa fit maxime consentanea rationi: ergo non est verisimile Christum reliquisse Ecclesiam sine hac potestate, quia secundum legem or-

dinarum non possunt homines a Deo ipso immediate petere dispensationem, nec debent necessario illa carere in tali necessitate, neque obligari per positivam legem divinam cum tanto rigore, quia non est consentaneum sapientiæ et suavitati Providentiæ. Quarto, potest hoc confirmari ex usu variis exemplis. Primum et gravissimum omnium est, quia jure divino solus Episcopus est minister sacramenti Confirmationis, et nihilominus Papa, dispensando in hoc jure, potest hoc ministerium committere simplici Sacerdoti. Secundum est, quia, secundum jus divinum, Eucharistia nec confici nec sacrificari potest nisi in duabus speciebus, et tamen, ob necessitatem et carentiam vini, dispensavit interdum Pontifex ut in solo pane conficiatur, ut aliqui referunt et sequuntur, quos retuli in 3 tom. 3 part., disp. 43, sect. 4; et sequitur Turrecr. in cap. *Comperimus*, de Consecrat., dist. 2; Ant., 3 p., tit. 13, c. 6, § 1, et nonnulli alii moderni. Tertium exemplum addi solet de dispensatione in residentia Episcoporum, quæ etiam est de jure divino.

5. *Secunda sententia.* — *Duplex præceptum divinum.* — Propter hæc autem fundamenta nonnulli theologi, licet non admittant eum jurisperitis potestatem dispensandi in toto jure evangelico et omnibus præceptis ejus, nihilominus admittunt in aliquibus posse cadere dispensationem pontificiam. Ita Cano, relect. de Pœnit., p. 5, ad finem; et sequitur Sanc., lib. 8 de Matrimon., disputat. 6, n. 6. Ut autem certam aliquam regulam constituent, distinguunt duplicia præcepta divina: quædam sunt, quorum observatio nunquam potest in particulari non esse magis expediens, sine impedimento majoris boni, qualia sunt præceptum confessionis et Baptismi, item præceptum utendi in Sacramento forma præscripta; alia sunt, quorum observatio in particulari casu potest impedire majus spirituale bonum, ut sunt (ait Cano) votum et juramentum; Sanc. vero adhibet dictum exemplum de consecratione in una specie. Priora ergo præcepta dicunt esse indispensabilia, quia in eis nulla potest occurrere ratio dispensandi, et consequenter nec potestas pro illis data est; posteriora vero dicunt esse dispensabilia propter contrariam rationem et fundamenta superius adducta.

6. *Hanc opinionem solum materialiter a prima differre.* — Si quis tamen recte consideret, hæc posterior opinio non differt formaliter a præcedenti, sed quasi materialiter, licet

auctores ejus aliud intendant. Declaratur, quia etiam jurisperiti docent inferiorem non posse dispensare in lege superioris sine causa, et ideo licet id facere tentet, nihil facere: unde necessario etiam docent legem Christi non esse dispensabilem ab homine sine causa, et Pontificem non habere hanc potestatem. Hoc autem idem dicere tenent auctores secundæ sententiæ; nec enim dicere possunt Christum dedisse Pontifici potestatem dispensandi in tali vel tali lege, quia in illis præsciebat posse occurrere legitimas causas. Nam Christi concessio generaliter facta est, ut constat ex verbis ejus; nullam ergo legem in particulari designavit; sine fundamento ergo hoc excogitaretur aut fingeretur; ergo si Christus dedit aliquam potestatem ad hanc dispensationem, fuit ad dispensandum in quacumque lege sua, si causa rationalis occurreret. Et hanc voco formalem convenientiam dictarum opinionum. Materialis autem dissensio erit, an in tali vel tali lege possit sufficiens causa occurrere ad dispensandum, in qua re potest esse infinita varietas, neque ab illis auctoribus assignatur probabilis regula ad id discernendum. Nam si causa sufficiens est, quod in particulari casu magis spirituale bonum per legem impediri videatur, vix cogitari poterit lex aliqua Christi in qua non possit occurrere legitima causa dispensandi. Ut, verbi gratia, lex Christi est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc.; in casu ergo in quo deest aqua, videtur illa lex cedere in spirituale nocuum parvuli; poterit ergo dispensare Papa ut in similibus casibus verba sufficiant ad conferendam gratiam parvulo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Simile esse potest de lege Christi, ut solus Sacerdos possit absolvere a peccatis: nam ubi deest Sacerdos, si lex illa stricte servanda sit, videbitur multorum salus impediri; poterit ergo dispensare Papa ut, in similibus casibus, diaconus vel etiam laicus vere absolvat, etiam non faciendo ex attrito contritum. Item, ubi deest vinum, dicitur Papa posse dispensare ut sine illo fiat sacrificium, quia ita videtur expedire communi bono alicujus nationis; ergo si alicubi desit triticum (ut revera in multis remotissimis provinciis deesse dicitur), poterit Papa concedere ut in pane hordeaceo, vel ex quacumque farina quæ ibi inveniri possit confecto, vera consecratio fiat, ne aliqua provincia tanto bono careat, sicut Melanchthon dixit Ruthenos carentes vino posse consecrare Calicem in aqua mellita, ut refert Bellarmin., lib. 4 de Eucha-

ristia, cap. 24; et de quibusdam aliis Septentrionalibus hæreticis vino carentibus a fide dignis audivi, dispensare secum vel interpretari, ut loco vini cervisiam, id est, potum ex aqua et hordeo et aliis rebus confectum, in sacrificio apponant. Hæc autem et similia absurda sunt et incredibilia, secundum principia fidei et veram theologiam.

7. *Tertia sententia communis theologorum.* — Est ergo tertia et communis theologorum sententia, absolute negans legem Christi divinam esse dispensabilem, etiam per Pontificem. Ita supponit ubique D. Thomas 2. 2, q. 88, art. 10, in tertio argumento cum solutione, et 1. 2, quæst. 97, art. 4, ad 3. Et specialiter docet de Pontifice, non posse dispensare in lege nova, in quodlib. 4, art. 13, et quodlib. 9, art. 15. Idem in 4, d. 27, q. 3, art. 3, ad 2, ubi solum excipit ea quæ sunt de institutione Apostolorum, quæ quodammodo solent divina appellari, non tamen proprie pertinent ad legem novam ut divina est, et ita exceptio illa firmat regulam generalem, quod Papa non possit in lege Christi dispensare. Idem tenent communiter Thomistæ supra dicta loca D. Thom. 1. 2 et 2. 2; et Soto, lib. 1 de Justit., q. 7, art. 3; Ledesm. in 4, 2 part., quæstione 4, art. 6; et idem aperte docet Cano, lib. 2 de Locis, c. 18, et ad 4; Catherin., lib. 6 contra Cajet., c. 2; et Turrecr., in Sum. de Ecclesia, cap. 107; Major, in 4, d. 24, quæst. 12; et Almain., lib. de Suprema potestate ecclesiast., c. 3; Salm., tract. 61 in Acta, in 4 et 5 differentia inter jus divinum et humanum, ubi indistincte loquitur de jure divino naturali et positivo. Idem tenent Summistæ communiter verbo *Papa*, præsertim Sylvest., quæst. 16; Covarr. in 4 Decr., 2 p., c. 6, § 9, n. 4, ubi alios allegat. Et huic sententiæ favent multa decreta, 25, q. 1, præsertim cap. *Sunt quidam*, et duo sequentia, in quibus dicitur contra statuta Patrum nihil posse condi vel mutari, etiam per sedis Apostolicæ auctoritatem, quod necessario debet intelligi de statutis traditis ab Apostolis ex ore Christi. Et ita Leo Papa, epist. 90, c. 4, et habetur in cap. ult., d. 14, distinguit quædam statuta immutabilia ab aliis quæ pro varietate temporum mutantur; priora ergo intelligit esse divina, posteriora autem humana.

8. *Congruentia.* — Ex quo potest optima congruentia pro hac sententia sumi. Nam convenientissimum fuit esse in Ecclesia Christi aliqua præcepta ita immutabilia, ut per ho-

minem dispensari non possint; ergo talia censenda sunt illa quæ ad legem a Christo institutam et latam pertinent. Antecedens patet, quia hæc Ecclesia semper debet esse una, et ideo observare etiam debet uniformitatem, non solum in fide, sed etiam in religione exteriori, et in substantialibus ritibus suis, quia (juxta sententiam Augustini supra relatam) non potest aliter humana congregatio in unum corpus religionis conjungi; sed hæc stabilitas et unitas Ecclesiæ sine præceptis dicto modo immutabilibus convenienter conservari non posset: ergo. Probatur minor: nam si per dispensationes possent fundamenta Ecclesiæ labefactari, aut variationem aliquam recipere in diversis partibus ejus, discursu temporum tanta facta esset mutatio, ut vix Ecclesiæ unitas agnosceretur: ergo oportuit hæc præcepta quasi fundamentalia, ut sic dicam, esse prorsus invariabilia et indispensabilia. Unde facile probatur prima consequentia: nam ideo Christus Dominus aliqua specialiter et in particulari determinavit et præcepit, ut in illa non posset cadere humana mutatio, ut patet de præcepto Baptismi, et similibus. Ergo consequenter censendum est omnia, quæ ab ipso præcepta sunt, talia esse; tum quia solum specialiter præcepit ea quæ ad fidem et sacramenta pertinent, ut supra declaratum est: hæc autem omnia pertinent ad substantiale Ecclesiæ fundamentum; tum etiam quia non est major ratio cur quædam sint dispensabilia, et non alia, nec potest hujus diversitatis conveniens assignari regula, ut circa tertiam opinionem declaratum est, et magis patebit ex sequentibus.

9. *Ratio a priori.* — Ratio autem a priori hujus sententiæ est, quia inferior non potest dispensare in lege superioris, nisi ab eo habeat specialem potestatem. Et ob hanc causam in legem veterem dispensatio non cadebat, quia erat lex Dei, et Deus non dederat potestatem talem hominibus. At vero etiam in lege nova non est data hominibus talis potestas, neque etiam Petro: ergo. Minor patet, quia verba illa generalia: *Quodcumque solveris et ligaveris*, non sufficiunt ut per illa intelligamus datam potestatem ad solvendum jus divinum; tum quia sub generali concessionem non solent venire ea quæ magnam specialitatem habent, et quæ verisimiliter non esset superior in particulari concessurus; talis autem esset hæc potestas. Et ideo notanter dixit D. Thom. 1. 2, q. 67, art. 4, ad 3: *Quæ sunt a Deo, nullus potest dispensare nisi Deus, vel*

*is cui ipse specialiter committeret*; oportet ergo ut talis commissio specialis fieret. Tum etiam quia ibi tantum intelligitur concessa potestas quæ futura erat in ædificationem, non in destructionem, juxta sententiam Pauli 2 Cor. 2, 13; potestas autem hæc potius esset in destructionem quam in ædificationem, ut declarat ratio prior. Eo vel maxime quia si illa verba ita extendantur, intelligenda erunt de potestate dispensandi in omnibus divinis præceptis, quod incredibile est. Et sequela patet ex vi ejusdem distributionis, et ex discursu facto, quia nulla conveniens ratio assignari potest ad differentiam vel exceptionem aliquam faciendam. Tum denique quia explicare quid sub illis verbis contineatur, maxime pertinet ad ipsos Pontifices successores Petri; at ipsi Pontifices in se hanc potestatem non cognoscunt, ut constat ex canonibus supra citatis, et quia, ubicumque agitur de jure divino, si de illo constet, dispensare refugiunt; imo etiam in præceptis vel institutionibus apostolicis difficile dispensant, argumento c. 2 de Bigamis; ergo nullum relinquitur fundamentum sufficiens hujus concessionis seu potestatis.

10. *Tertia sententia simpliciter vera; distinctio inter dispensationem et interpretationem.* — Hæc ergo sententia mihi maxime probatur. Ut autem et magis eam explicemus et objectionibus satisfaciamus, distinguamus imprimis inter propriam dispensationem, quæ obligationem supponit, etiam in particulari casu in quo illam aufert, et interpretationem, quæ in particulari casu non supponit obligationem, sed dubium ejus, et ita non tollit obligationem, sed dubitationem, declarando in tali casu non fuisse mentem legislatoris obligare. Dicta ergo sententia præcipue loquitur de dispensatione; nam interpretationem aliqui ex auctoribus ejus admittunt, ut Major, Ledesm., Covarr., et alii non negant, et videtur consentaneum superius dictis de interpretatione in lege veteri. De utraque ergo dicendum est. Prius vero iterum distinguendum est juxta superius dicta inter institutiones a Christo factas, præcise spectatas, et inter præcepta positiva de usu rerum sic institutarum. Priores sunt monarchia Ecclesiæ spiritualis cum suo ordine hierarchico, et cum talibus sacramentis, et sacrificio; posteriora sunt præcepta obligantia ad usum aliquem, vel observantiam talium rerum. Quæ duo in rigore diversa sunt, ut supra notavi, et ideo in præsentis potest dubitari utrum eandem vel diversam rationem subeant.

11. *Præcepta legis gratiæ positiva nullam dispensationem per modum epikiæ admittunt.* — Dico ergo primo: præcepta positiva legis gratiæ nullam dispensationem nec interpretationem per modum epikiæ admittunt. Loquor de præceptis positivis, quia ex institutione sacramentorum legis novæ intrinsece sequuntur aliquæ obligationes quæ, ex hypothese, pertinent ad jus naturale, ut in superioribus factum est; et de illis nunc non agimus, sed dicemus inferius. Sic ergo prior pars de dispensatione satis probata videtur in fundamentis tertiæ sententiæ, et breviter potest ita declarari, quia in lege nova pura præcepta positiva non sunt nisi vel de fide explicita aliorum mysteriorum nostræ religionis, vel de usu quorundam sacramentorum, vel etiam sacrificii; in hæc autem non cadit aliqua dispensatio: ergo. Major supra probata est. Minor inductione ostenditur. Nam præceptum fidei, quatenus divinum est, solum est de illa fide quæ est necessaria ad salutem; sed in hæc fide non cadit dispensatio, quia non potest Ecclesia mutare media ad salutem necessaria, neque illa supplere, si omnino desint, ut patet in parvulo qui baptizari non potest, et in ipsa fide sic declaratur: nam vel homo potest scire et explicite credere omnia quæ ex præcepto divino sunt necessaria ad salutem, vel non potest. Si potest, non potest Ecclesia dispensare cum illo ut non teneatur, vel ut sine tali fide salvetur, ut est per se notum. Si vero non potest, vel nihil omnino supernaturaliter credere potest, vel saltem potest aliquid, quod de facto credit. In priori casu, impossibilis est dispensatio propter rationem factam, quod Ecclesia non potest supplere remedium necessarium ad salutem. In altero vero casu, si ignorantia sit invincibilis, poterit fortasse homo salvari cum illa fide, non propter dispensationem Ecclesiæ, sed quia illa fides potest per charitatem operari, et Deum super omnia diligere, quæ dilectio in voto continebit omnem fidem ignoratam, qui modus credendi sufficit in ratione medii secundum divinam legem. Si vero ignorantia sit culpabilis, non poterit ignorans excusari a culpa propter dispensationem Ecclesiæ, ut per se patet.

12. *Probatur magis de præceptis circa usum sacramentorum.* — Deinde probatur idem de præceptis positivis circa usum sacramentorum, quæ in summa ad tria reducuntur, scilicet, Baptismi, Confessionis et Eucharistiæ; nam de Confirmatione et Extrema Unctione res est

dubia; tamen si admittantur, eadem erit illarum ratio. In Matrimonio autem et Ordine non invenitur obligatio, nisi ex causis extrinsecis in particularibus casibus oriatur, et tunc magis erit ex jure naturæ, vel ex præcepto humano, quam ex jure divino positivo. At vero circa illa præcepta sacramentorum non habet locum dispensatio Ecclesiæ, quia sunt de mediis necessariis ad salutem, saltem duo prima; et de Eucharistia idem docent multi, vel saltem tanta est illius necessitas, ut Christus dixerit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, etc.; hanc ergo necessitatem non potest Ecclesia immutare, ut patebit facile applicando discursum factum de fide. Et declaratur amplius sistendo in necessitate præcepti cujuscumque sacramenti: quia omnia hæc præcepta affirmativa sunt, et ita non obligant pro semper, sed pro certis temporibus, quæ nunc, brevitatis gratia, vocare possumus articulos necessitatis, nunc enim non agimus de determinatione temporis quam addit Ecclesia: nam in illa certum est posse eandem Ecclesiam dispensare: igitur, extra articulum necessitatis, nulla est necessaria dispensatio ut pro tunc possit non impleri præceptum sine culpa, quia pro tunc non obligat. Dato autem articulo necessitatis, vel datur commoditas moralis sine notabili impedimento vel periculo ad implendum præceptum divinum, et tunc nullum habet locum dispensatio humana, esset enim contra omnem rationem et contra divinam voluntatem. Aut pro tunc non occurrit occasio possibilis simpliciter, ut quia deest sacerdos, et tunc non est necessaria dispensatio, quia sine illa excusatur culpa, et illa supplere non potest necessitatem medii, nisi per votum et desiderium indigentis suppleatur. Aut denique impossibilitas est tantum moralis, ut quia est periculum vitæ, aut perniciosæ communitatis cum hæretico, vel quid simile, et tunc aut impedimentum ipsum intrinsece et per se affert excusationem, et ita non habet locum dispensatio, vel certe si impedimentum per se non sufficit ad excusandum, nec dispensatio humana poterit tollere obligationem, esset enim tunc irrationabilis, in negotio spectante ad salutem animæ, et per jus divinum determinato. Unde usus talis dispensationis inauditus est in Ecclesia.

13. *Objectio.* — *Responsio.* — Hinc vero potest sumi objectio contra alteram partem de interpretatione: nam in eo casu de morali impedimento si res sit dubia, saltem habet locum interpretatio. Respondeo concedendo